



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

19 Patroni unius parochialis possunt compelli ad praebendam congruam sustentationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Nisi intra quatuor menses, aut aliud tempus in decretis eiusdem visitationis præfigendum, eadem ecclesiam restauraverint, quibus elapsis, ex nunc, prout ex tunc, & è contra declarare etiam redditus ejusdem veteris ecclesiæ profanandæ in sustentationem parochi assignandos, & transferendos, ac per ipsum nunc, alios parochos pro tempore existentes liberè percipiendos, & levandos fore, & esse, decernendo copiâ eorundem decretorum valvis seu parietibus ejusdem parochialis diruta affigendam, omnes afficere, ac si singulis personaliter præsentata foret, illamque affigi mandare, & illis non comparentibus, nihilque, quod relevat deducantibus, termino præfixo elapso, poterit visitator in executionem suorum decretorum ecclesiam profanare, lapides ecclesiæ destructæ, ligna traves, & alia similia vendere, ad usum tamen, & commodum novæ parochialis erectæ, & quod tali casu possit ecclesia 21 profanari, etiam si juris patronatus existat, probat text. in eod. c. 7. circa fin. sess. 21.

18 Quinimò ecclesia, quæ est tenuis redditus, non dicitur juris patronatus, cum patronus ecclesiæ, nemo efficiatur propter rem modicam datam ecclesiæ, nisi tantum dederit, quod sufficiat ad necessaria ministrorum, & ad luminaria, cap. nemo, de consecr. dist. 1. gloss. in cap. quicumque, il. 2. 16. quæst. 7. Abb. in cons. 106. numer. 2. vers. præterea, & secundo, vol. 2. & las. in auth. præterea, numer. 5. c. unde vir, & vxor. Unde tales ¶ patroni parochialis possunt compelli ad præbendam congruam sustentationem parochi, vel ad patiendum illam aliæ ecclesiæ uniri, & ita fuit à sacra congregatione decisum sup eod. cap. 5. sess. 21. de reformat. §. patroni unius.

Et quia Ordinarius sine consensu patroni non potest regulariter beneficium juris patronatus unire, ut supra, in vers. uniones ut sint, illa regula hoc casu fallit, si parochialis est exigui redditus, & sic diruta, ut in ea non celebretur, aut aliàs restaurari non possit, quia ¶ tunc deficiente ecclesia, quæ constituit corpus juris patronatus, perdit nomen beneficii, ut dicitur de beneficio unito, Felin. in cap. nostra num. 30. vers. & istis adde. de rescript. Gomez. in reg. de anna. quæst. 25. numer. 2. & Rot. decis. 11. in princ. de reb. Eccles. non alien. in antiq. quo casu redditus illius beneficii qui titulo carent, possunt per visitatorem ad aliam ecclesiam transferri, quia, qua commodiori Episcopo videbitur ratione, tot fructus sunt redigendi, quot pro rectoris, aut parochiæ necessitate decenter sufficiant, conc. Trid. in c. 13. vers. in parochialibus. sess. 24. de refor.

Episcopi ¶ ut aptius quem regunt populum, possint in officio, atque obedientia continere, in omnibus iis, quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus, & potestatem habent etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta canonû sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac diocesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec ex his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibito, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his decreta, mandata, aut judicata fuerint, quòquomodo impedire, aut suspendere potest, conc. Trid. cap. 1. §. cum igitur rei, sess. 13. cap. 1. §. cum igitur quo,

Ddd

quo,